(332)

Mercatori
Civitati Duijsburgensi
a Secretis.

Cum Duijsburgæ essem, vir clarissime, non potui non Gerardi Mercatoris recordari, qui nos ubicumque terrarum simus, memores sui fecit. Ea cogitatio quantoperè me commouerit, tumultuariis Epigrammatis testatum feci, quæ cum festinabundus domi te fortè non reperissem, visum est hoc epistolio consignata transmittere. Quod scripto deest, suppleat scribentis affectus, ut poetam contemnas, utique pro beneficio publico gratitudinem priuatam ama.

Nomini tuo
addictissimus
C. Huijgens.

Bodbergæ in Castris
III Cal. Sext. CIƆIƆCXLII.

(333)

Barlæo.

Quid quotidiè rerum agas aut mediteberis Barlæe doctissime, visum est non meditando tantum expiscari, verum et agendo. Sive enim in Mediceæ Hospitis tumulum de tuis floribus insparseris, sive embrijoni propior est ille foetus, quem tu serius aut citius utique exclusurus es, ingenium ecce tuum vel amicitiam lacesso, quæque scripsisti, peto, et quæ non scripsisti; illa ut impertias, hæc ut scribas. quæ scripsi ego et nunc impertio, remotis arbitris solus sobriusque inspicito. Neque ultra faxo monendus eris, ne dispalescant. σκληρὸς ὁ λόγος καὶ πόλεπεος. quem si vulgò exponamus, planè prorsus, quod Græci appositè εἰψοκινδυνῶμεν. Ego verò, dum in his ultro citroque venam tento, planè me exerceo ac si Tragædiam texens boni maligne personas induam aut deponam. Reginæ Matris ærumnæ perinde me afficiunt ac Richelii felicitas. τῷ κυρίῳ στήκουσιν ἢ πίπτουσι. Si quisquam hic mortalium odij et amicitiæ caussas procul habeo. Ut me oblectem alternis experior, maledictum, quam benè dici possit, quam adulatio non ineptè prout acumen inuitauerit; aut non incommoda dictio aliud agenti obuia. Partium studia, quid verò partium, ne veritatis quidem in carmine attendo: quod cum paucissimorum amicorum laudem tulerit aut censuram, planè functum est vitæ officiis, et paratum aboleri et flammis aptum. Sed harum rerum, ut nosti,

non

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 118v-119r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3087

non omnium hodie mortalium imbecillitas, idonea
æstimatrix est. Si quod cecineris, dictum putant; si quid
dixeris assertum et propugnandum; quod a me adeo est
remotum ut ne Poetas quidem habendos existimem
qui seriò versificantur. quid ais Amice, fidem haberi
credis, aut habes ipse præconijs sesquipedalibus, quibus
cum fert occasio, aut torques trahit totam Pindi Majes-
tatem profundis in unum Regis aut subditi θνητὸν
κάρα? Ergo lusus est et jocus in quo versamur; qui secus
æstimat, sæpè fit, suâ culpâ ut vapulet, aut sibi suavis
sit non suâ laude. Interea vir optime non ignarum
quibuscum ingenijs committamur, postquam te Hoofdii
ista et Vicofortij et Vossij et Vondelij solum inquam
te τῇ λάθρα perlegentem audierint, seriò rogo et obtestor,
et pro amicitia autoritate jubeo, autographa statim
ut remittas, ne exemplorum quidem copiâ cuiquam
factâ, planè ut videam amici non placere τὴν ἀνίατον
σκῶψιν, cratibus capitique (ut est apud Comicum) frau-
dem creare capitalem innocenti Poetæ. Comparatio-
num gradus cesso a te petere, nisi modum adhibes quem
præscripsi, et mixta bonis mala nigro θ confodias.
Vale Doctorum amicissime, et brevi et frequenter scribe
hac enim cohæremus, neque est inter magnas et assi-
duas occupationes quo magis recreer. In Castris Bod-
bergij: Cal. Sext: CIↃIↃCXLII.

confidentissime ut vides
Tuus
ℬ

Cartesii meditationes metaphysicas
accuratè nunc editas, cum objectionibus
doctorum, et autoris solutionibus, quin
tandem videris non ambigo: si autem
perviderìs, magnoperè a te peto, ut perscribas
quid in universum de opere sentias.

(334)

Bannio. Qui tuus candor est atque humanitas, non ambiges me
verum dicere, cum in procinctu stantem affirmabo per
ingentem occupationum molem nequiisse quod nunc
facio, senso spirituque sedato gratiam referre, quam
pro Indice opusculi Musici prodromo hactenus debeo, maxi-
mam et singularem. Sanè perjucundum fuit in-
ante cessum scire, quibus me quantisque ferculis
excepturus